Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosophor.
1759. 15 9bris.

Kikulski Adalb. Vincentii: Fructus philosophici honoris autumnales ex Jagellonico campo collecti.

FRUCTUS
PHILOSOPHICI HONORIS
AUTUMNALES,
EX JAGELONICO CAMPO
COLLECTI.

ET DUM

V. V.V. D.D. PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATI
PRÆVIO RIGIDO EXAMINE
AB

ILLUSTRI CLARISSIMO & Admod: *REVERENDO DOMINO*

D. M. ANTONIO CZERCHAWSKI,

Philoſophiæ DOCTORE, ejuſdemq; ac Curſûs Vladislaviani PROFESSORE, Collega Minore, Eccleſiarum; Collegiatæ Sanctæ ANNÆ Cracoviæ CANONICO, Sancti ADALBERTI in Circulo Cracovienſi PRÆPOSITO.

publicè ex Cathedra
PRÆSENTE MAGNORUM HOSPITUM CONCURSU,
Artium Liberalium & Philoſophiæ BACCALAUREI crearentur;
Eruditæ Eorum in præmium Virtuti

PER

ADALBERTUM VINCENTIUM KIKULINUS

Patritium Cracovienſem, Ejuſdem Laureæ Candidatum.
Mutuæ Fraternæ Conteſtationis ergò
ſub Forma Poëtica

OBLATI.

Annô quô
Atra fames mortis dum Mundum preſſit acerbè,
Arbore de Vitæ decerpſit Poma Salutis.
1759. Die 15 Menſis. 9bris.

CRACOVIÆ.
In Typographia Seminarii Epiſcopalis Academici.



B. IOANNES CANTIUS *Polonus, SS. Thēæ. in Universitate Cracoviensi Doctor, et Professor, Presbyter Secularis, Miraculis Clarus.*

Effigies DIVI quam cernis ſculpta Patroni
Exemplar vivum relligionis adeſt.
Conſpicit Ille Pius CHRISTUM puramq; MARIAM,
Edocet, inflexos ad ſua vota Deos
Ut quivis habeat, mens ſit pia, corde feratur
Ad Cælum puro, gratia ſemper erit.

SERVATORI
JAGELONICI CAMPI,
DIVINISSIMO
JOANNI CANTIO,
REGNI POLONIÆ, & MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ
PRINCIPALI PATRONO,
ALMÆ UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS
PATRIARCHÆ.

Litantur piæ precationis Fructus cum Lemmate:

Autumnant ſemper in Anno.

POſt peractos dum rigidos labores,
Solis æſtu quos tulimus maligno;
Ad capeſsendos meritorios in
Palladis arvo
Uberes fructus properamus, atq;
Et Tibi Rori Charitum benigno
Fructibus de tot decimas litamus
DIVE JOANNES.
Idq; fructus hos ferimus Clientes
Ad PATREM Te, quos pietate cordis
In dies noſtrûm ſtudioſa cultu
Multiplicat mens.
Hos litamus, qui gravitant in Anno
Semper autumnant, titubando nunquam,
Omnis ex his ut Tibi grata DIVE
Victima fiat.

Artifex rerum fabricavit hortos
Mira quos natura, tulit vireta,
Quosq; vel fecit fruticare ramos,
Non Tibi tales
Mens ſacrat noſtrûm, ſpatiô brevî qui
Decidunt, nullos generando fructus,
Et licèt quosdam pariant, ſed unquàm
Non ſine fuco.
Vanitas ſunt hæc, ſimulatioq;
Nulla devoti ſpecies amoris,
Guſtui tanto minimè quadrarent
Relligioso.
Pandimus mentem Tibi DIVE noſtram
Cordis arcanum reſeramus imi,
Hoſtiæ fructûs, damus hìc Tibi quas,
Sunt pia vota.
Hîs preces ad Te ferimus profundas,
Velle digneris Jagelonicos hos
Gratiîs fructus Superûm juvare
Grate JOANNES.
Fructus hic quem nunc legimus decoris,
Mentis ornatus ſtudiiq; pulcher
Eſt, tamen pallet, Tua ſi benigna
Gratia deſit.
Laureatorum Pater es Virorum,
Frontium pulchrè renitentiumq;
Es Decus ſummum, recolunt enim Te
Omnia talem.
Qui Tui gratos radios in omnes
Spargis, & plenos precibus favores
Influis, quivis ferat ut ſecundos
Te PATRE fructus.
Vera det Regnum documenta Lechi,
Exteræ dicat regionis agmen,
Quanta de Cælo tribuis favorum
Alme Patrone.

Omni-

Omnibus verbô numeroſa præſtas
Dona, tum Mundum ſatias peramplum
Gratiîs, ditas benedictione
Vota Clientum.
In Tui quondam ſpecialis in Te
Eſt favor Matrem, refoves aduſq;
Hanc, minas à qua cohibes malignas,
Laude coronas.
Ergò dum Tantum profitentur omnes
Ore devoto venerando Patrem
Te ſui; noſtrûm quoq; non repelle
Hanc pietatem.
Quam Tuis Aris humiles litamus,
Et piîs votîs Tibi ſupplicamus:
Laureas noſtras benedic, Paterno
Protege vultu.
Marceant nunquam in Jagelonis Aula,
Explicent ſemper meliora dotum,
Germinent fructus teneros honorum
Tempore quovis.

ILLUSTRIBUS CLARISSIMIS & Admodùm *REVERENDIS* DOMINIS.

EXAMINATORIBUS.

ILLUSTRI CLARISSIMO & Admod: *REVERENDO DOMINO*

M. ANTONIO CZERCHAWSKI,

Philoſophiæ DOCTORI, ejuſdemq; ac Curſûs Vladislaviani PROFESSORI, Collegæ Minori, Eccleſiarum; Collegiatæ Sanctæ ANNÆ Cracoviæ CANONICO, Sancti ADALBERTI in circulo Cracovienſi PRÆPOSITO, ac interea Facultatis Philoſophicæ DECANO.

ILLUSTRI CLARISSIMO & Admod: *REVERENDO DOMINO*

M. AMBROSIO BUSZYDŁOWSKI

Philoſophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio, ac Lingvæ Gal-

licæ, Ordinario PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatarum; Sancti GEORGII in Arce Cracoviensi CUSTODI Sanctæ ANNÆ SCHOLASTICO.

ILLUSTRI CLARISSIMO & Admod: *REVERENDO DOMINO*

M. ANDREÆ SZOPIARSKI,

Philosophiæ DOCTORI, & PROFESSORI, Collegæ Minori, Ecclesiarum; Collegiatæ Sanctæ ANNÆ Cracoviæ CANONICO, Archipresbyteralis B. M. Virginis in circulo Cracoviensi Radyminsciano PÆNITENTIARIO, Almæ Universitatis SYNDICO, Contubernii Regio - Jageloniani SENIORI.

OFFERTUR PERENNIS GRATITUDINIS FRUCTUS CUM LEMMATE.

Delectat, sapit, nutrit.

Ascende Præses Pierii jugi
Majestuosum nunc Solium Tuum,
Totumq; Parnassum vocare
Ad Tua jussa velis Apollo
Et Vos benignæ linquite proprios
Musæ Penates, sistite singulæ,
Compareat tum Cætus omnis
Quidq; fovens Helicon celebris.
Princeps Apollo dulcisonam chelym
Tangat, bicolles prosiliant nimìs
Colles, ut horum nunc Virorum
Publica fama volet per Orbem.
Parnassus ingens dulce melos ferat,
Promanet altè Castalius latex,
Ut digna portet laude Metra
Ternio splendidus hic Sophorum.
Musæ canoræ ludite svaviter,
Pulchrè sonorîs clangite tibiîs,
Orbis sciat totus nitentes
Ingeniô, meritîs potentes.
Quivis Eorum dotibûs optimus,
Præcelsa virtus quemlibet approbat

Magnum

Magnum, decorum, laude dignum,
Elogiîs gravibûs colendum.
Matura mens eſt omnibus intima,
Fructus opimos parturiens ſimul
Tales, quibûs gaudent amænè
Nomina prima Poli eruditi.
Dignus peramplîs Ternio laudibûs,
Delectat omnes ad ſapientiam,
Altè ſapit, tum nutrit æquè
Ingenium Juvenum in Lycæis.
Quæ ſum locutus, ſingula fuſiùs
Pluris pateſcant, carmine convenit
Juſtus Cuivis conſecretur
Ut valor & pretium perenne.
Occurris ergò primus acumine
Mentìs profundus, Qui venerandus es
Princeps Sophorum Purpuratus,
Qui renites meritîs onuſtus.
Dotes celebres quas animô refers,
Magnum canunt Te Palladis ad decus,
ANTONIUM, Regnum videris
Qui ſtudii gravis ebibiſſe.
In Te niteſcit jam probitas pia,
Jam ſplendet almè compta modeſtia,
Et quidquid eſt fulgens, honeſtum,
Tu retines cumulum DECANUS.
Succedis almo carmine Præſidi
Laudandus, in Quo ſidereus Polus
Ad mentis oblectationem
Plurima dona ſui locavit.
Miratur Orbis Te docilem ſatìs,
Et Stoa rarum Te ſtupet intimè
AMBROSIUM, Qui pandis ultrò
Dogmata magna Sophus profundus.

Infractus extas in Cathedris, decus
Es grande Gentis Sarmaticæ, geris
Hæc quæ graves atq; elevatos
Et decet & juvat esse Patres.
Magnâ colendus laudis adoreâ
Es, Qui Polono natus in Hespero,
Sic exterâ linguâ places, ut
Gallia Te petat esse suum.
Post hos ades nunc ordine tertius,
Primis venis Qui dotibûs omnibûs
Par, es tot emensus labores
Palladis in studio Professor.
Matura Mens est fructificans Tua,
Quam prodit Orbi pulchra Scientia,
Mirè Patrum Qui singulorum
Corda moves, ut Amandus his sis.
Verbô: SZOPIARSKI partibûs omnibûs
Extas Vir almus consiliô arteq;,
Quem facta præcelsè decorant
Encomiis animus sat ornat.
Sed quid legendis laudibus immoror
Vestris? satis dum claudere carmine
Uno: quòd estis tot decori,
Quot numerat Polus Astra Cæli.
Hinc gesta Vestrûm linquimus alteris
Laudanda, solùm pectore candido
Hæc reddimus, quæ gratitudo
Postulat ad referenda Vobis.
Hæc ergò grati munera pectoris
Patres habete: vivite tempora
Per multa læti, sors beata
Insinuetur in ampla sæcla.
Fructus honorum carpite congruos,
Quos celsa virtus Vestra petit, quoq;
Cælum pluat Vobis abundè
Aurea dona, precamur omnes.

FRU-

FRUCTUS
PHILOSOPHICI HONORIS
AUTUMNALES,
ERUDITÆ IN PRÆMIUM VIRTUTI
V. V.V. D.D. PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATORUM
OBLATI.

I. V. D. THADÆO GAMRAT OKONSKI,
Offertur Fructus Cypressi cum Lemmate:

Semper honos Nomenq; Tuum.

Unde petam quæris si laudum thema Tuarum
OKONSKI? quonam concentu Te celebrabo?
Formandis metris doctos non consulo Vates,
Hac in re nolo doctas urgere Camænas.
Nomen & ingenium, tum virtus sufficiens sunt
Materies celsæ laudis Tuî semper abunda.
Ordine quòd primus sis, primo dignus honore
Palladis in Stoa, Quem clarus Sanguinis ortus
Exigit, illustris stirps commendat venerandum.
Sed quoniam virtute decet non sanguine niti,
Ad Musas veniens solidum stabilimen amandæ
Virtutis comptæ jecisti, nam Tua gesta
Omnia cum studio pleno probitate refulgent.
Floridus ingeniô polles, multoq; decore,
Sanguine præclarus, sic & virtute decorus,
Non Tyro sed Vir splendescis mente perita.
Eximiè fructus Cypressi quadrat opimæ
Dotibus almis Tuî; Cypressus sicut amæna
Semper servatur, nunquam spoliata virore,
Audent quam nunquam venti turbare furentes;
Sic Tua conspicitur virtus, mens & genus altum.
Semper honos Nomenq; Tuum servabitur Annos

Per multos, foveas solummodò mente dicatum
Fructum, virtutem cujus sectare virentem.
Prosper & incolumis nunc vivas in decus almæ
Palladis & Patriæ majori laude beandus.

II. V. D. JOANNI ALOYSIO TREFLER, PATRITIO CRACOVIENSI,

Offertur Fructus Cedri cum Lemmate:

Pascit & oblectat.

Quos Tibi dem plausus? quas laudes carmine reddam?
Quodve canã Metrũ, quod mens Tua pulchra reposcit?
Inclyta quod virtus meruit, studiosaq; cura?
Pro quibus his pulchris documentis nexa Corona
Redditur apta Tuæ Fronti placidè revirendo.
Quam teneris Annis ipso rationis ab usu
Quærebas vigilans, vultûs sudore refertus.
Innatam præter virtutem quâ renites Tuî,
Majorum summa dignorum laude Virorum,
Ut video Quorumq; sequi vestigia tendis;
Indolis eximiæ specimen fers atq; talenta
Talia, quæ poscunt ex sese præmia justa.
Hinc ego quâ methodô referam Tua munera tanta?
Nescio; tot tantas ergo moduletur amænè
Tuî dotes virtus generosior, & labor auctus.
Attamen in signum docti quem sumis honoris
Accipe pro voto Cedri cum lemmate fructum.
Floribûs ùt Cedrus recreat, tum pascit abundè
Fructibûs, ast quoq; sic mentes animosq; Studentûm
Pascit & oblectat recipis quam Laurea docta.
Crede mihi Tua vota magìs fructus recreabit
Hic, & Te nutriet magnos ad semper honores,
Si Tua Mens pulchrè cæpta probitate virebit.
Quod Tibi dum voveo, hæc affectu cordis amando
Apprecor: ut vivas ex omni parte beatus.

IV. V.

IV.V.D. JOANNI NEPOM: GAWORSKI,

Offertur Fructus Sorbi cum Lemmate:

Ætate maturat.

Non hìc materiæ quæro documenta notandæ,
Ex quibus ingenitæ Tibi doti dona referrem.
Eſt etenim facies virtutis viva, fidelis
Teſtis, quòd maneas laudabilis omnibus æquè,
Utpotè Quem Natura ſuîs ornavit amænè
Dotibûs, atq; lares Patrii nutriêre decenter,
Artes Palladiæ ſtudiîs poliêre probatîs,
Virtutes ſemper culta probitate nitentem
Fecerunt, quibus adjunctæ ſunt Candor, honeſtas.
Moribûs incedis comptus cunctis peramandus,
Quem pietas omnis ſequitur moderatio pulchra,
Ingenium promptum, docilis mens concomitatur.
Omen adeſt de Te non vanum, Palladis almæ
Tempore quód fies venturo gloria, fructus,
Si matureſcent matureſcentibûs Annîs
Indolis iſta Tuæ pulchræ documenta JOANNES.
Laurea, quâ donat Te Pallas, fructus honoris
Eſt docti, cum quo jungo Tibi ſymbola ſorbi.
Arboris eſt hujus fructus, qui tempore certo
Nonniſi perfectus, maturus redditur omnis.
Sic Tua mens fiat, progreſſu temporis apto
Ingenium polias ſtudioſiùs, excole dotes
Pulchriùs innatas, & ſic ætate juventa
Creſces perfectus, maturus, tumq; decorus.
Vive modò ſoſpes, lætus, mea Muſa precatur.

V. V. D. JACOBO SZPĄDROWSKI,

Offertur Fructus Vitis necdum maturis uvis onuſtæ cum Lem:

Seſe melioribus offert.

Jam quoq; docta ſuo ſequitur Te carmine Muſa
SZPĄDROWSKI, maneas licèt ultimus ordine, primis

Absimilis non es, Quem prodit mentis acumen,
Et probitas cunctis æqualem concelebrandum.
Promptus inest animus tolerandi quosq; labores,
Ingenium solers nullis turbatur adusq;
Curis in studiis, quas lætus suscipis exnunc,
Alcidæ similis dici, vel dexter Achilles
Posses, qui nullum metuis pondus studiorum,
Immò mente alacri suffers objecta laborum.
Virtutes celsas sic consectaris, ut ex Te
Concipiat non parva sui solatia Pallas,
Quæ meritò justè confert Tibi laurea serta.
Hîs igitur sertîs dum frons Tua cingitur, atq;
In signum tanti Tibi fructus cedit honoris,
Nempè uvîs necdum maturis Vitis onusta.
Symbola sunt hujus Vitis pandentia pulchrè
Gesta Tui, specimen cujus das sat manifestum.
Hæc uvas nondum maturas sustinet, ast pòst
Reddere promittit fructus multò meliores.
Sic Tua Mens Juvenis quanquam documenta probata
Jam dederit, meliora tamen curare necesse,
Fructu majorum sic fies dives honorum.
Quos Tibi maturos sincero corde precando,
Opto simul: vivas non paucos prosper in Annos.

III. V. D. ADALBERTO VINCENTIO KIKULINUS,

PATRITIO CRACOVIENSI

Ejusdem Laureæ Candidato,

AUTHORI Operis.

V. D. THADÆUS GAMRAT OKONSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus,

in vim reciproci Affectûs

Offert Fructum Palmæ cum Lemmate: *Ad Omnia Utilis.*

Tempore non modico meditabar, mente revolvens,
Arbore de quadam Tibi fructum carpere possim,

Dotibûs excelsîs Tuî qui quadraret amuſſim.
Utpotè Qui dignus ſpectaris Nomine req;
Laudis diſtinctæ, meritîs diſtinctus Ephebus.
Urbs Craci clarum Quem Regia reddidit omni
Elogiô dignum; Cuî Magnos ſemper in Orbem
Eſt generare Viros Sacris Patriæq; peramplos.
Sic & Te pariens ornavit dotibûs amplìs.
A quibus ut major Tibi ſit laus, & decus almum;
Moribûs has Patriis ac comptis excoluiſti,
Artibûs eximiîs animum, mentemq; beâſti.
Sic ergò meditans VINCENTI reddere fructus
Qualesnam tenear? Qui Nobis carmina doctô
Scripſiſti calamô, fructus tribuendo Cuivis
Diſtinctos; igitur diſtincta laude mereris
Omnibus à Nobis juſtô metrô celebrari.
Sed quoniam nequeam dignas Tibi ſolvere grates
Mutuus affectus quas poſcit; colligo vota
Ergo Confratrum, fructum cum lemmate Palmæ
Qui referunt omnes ſemper viridantis amænè:
Virtus ineſt Palmæ, maneat quòd partibus illa
Utilis ex cunctis ad ſingula, fertilis omnis.
Indolis hæc cultæ Tuî ſignat ſymbola Palma,
Utilis en fueris quòd Muſis omine certo.
Eveniant ut quæ ſucceſſu temporis, atq;
Omnis honor faveat, conſtans fortuna ſequatur
In multos Annos, optamus corde faventi.





Sub Felicissimis Auspiciis

MAGNIFICI PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI

D. M. STANISLAI MAMCZYNSKI,

Utriusq; Juris DOCTORIS & PROFESSORIS, ejusdemq; Facultatis DECANI, Collegii Juridici SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralîs Cracoviensîs CANONICI, Collegiatæ S. MICHAELIS in Arce Cracoviensi DECANI, Parochialîs in Smarzowice CURATI, Contubernii Jurisperitorum PROVISORIS, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarii CENSORIS, Canonizationis B. JOANNIS CANTII PROCURATORIS. Studii Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis PROCANCELLARII, & Vigilantissimi

RECTORIS.